Quaestio medica Cardinalit. disput. discussa in Scho. Med. die Jovis 12a Martii.
D. Juliano Bereo Reg. Medico Prudentissimo Moderatore.

An Nuptarum, quam Virginum morbi Periculosiores?

Hominis cujus optima sanitas et nihil jucundius datum est, quae ex calidi, frigidi, humidi, siccique aequali temperie, legitima utriusque seminis et sanguinis materni haud sinceri quidem, sed nulla qualitate maligna infecti sectaque instrumentorum obeundis actionibus destinatorum symmetria, consurgit: sic morbo, actionem primo, ac per se laedenti, non est quidquam calamitosius tributum. Quum et causae eius externae, rebus sex non naturalibus comprehensae, tum internae antecedentes, continentes sive coniunctae, praecedunt. Ita infinita propemodum eum sequuntur symptomata: quae etsi omni sexui infesta sint, minus tamen viris, quam mulieribus, sive virgines, sive nuptae fuerint, adversantur.

Utraeque autem ut communem habent naturam, morbos quoque et symptomata communia immoderato praesertim sanguinis menstrui profluvio patiuntur: vel totius corporis vitio, vel uteri imbecillitate, aut acrioris humiditatis admixta colluvie. Unde vasa rarefiunt, aperiuntur, roduntur, et disrumpuntur, hinc foedus color, plumbeus et pallida facies humoris morbifici sobolem καχεξίαν indicat, quam hydrops, qui non perficitur nisi refrigerato hepate, λευκοφλεγματίας primum, deinde ἀσκίτης sequitur, pristinum robur prosternitur, ventriculi, ut non omnium oeconomiae naturali dicatarum partium functio, et haemorrhoidibus uberius contingentibus solet, perturbatur.

Et vero sanguinis praeternaturalis suppressio, qui singulis lunis critice evacuatur, non corporum caelestium motu, non luminis, aut influxu (quibus tamen in haec inferiora tam generandi, quam corrumpendi maxima inest potestas) neque numerorum vi, sed naturae solius robore, varios affectus invehit, aut copia in vasis acervata, unde lumborum dolor a distentione: aut vapore, qui si a bile excitatus fuerit, causum in viris maioribus, liberali aquae potu curabilem, in cerebro phrenitidem, refrigerantibus et humectantibus, tam sumptis quam admotis: si a melancholico succo, apoplexiam et epilepsiam, si denique a pituita, lethargum cum febre producit.

Virgines praesertim quae pubertatis tempus, nulli certo definitum, attigerunt propriis sunt affectus, interdum tamen et viduis communes, a venularum quae ad uterum pertingunt tenuitate et angustia, copiosioris sanguinis fluori viam praecludentibus, qui vero robore ad partes corporis, nutritioni, vitae et animae officiis dicatas, propulsus, vel nimium in modum excrescit, hinc hepar omnium primum, sanguinis et venarum principium, ad hoc diaphragma respirationis organum, et cor caloris fons afficitur; unde torporis sensus, vitio cerebri substantiam laedentis, in quo si moram traxerit παράνοιαν a bile, si altius radices egerit μανίαν ab humore vitae principiis contrario inducit: hinc silentium, metus, desperatio tanta, ut exagitatae, aut ad laqueum saepenumero adigantur, aut in puteos, nisi custodem excubent, praecipites ferantur.

Nuptae mulieres ut caeterae omnes frigidiorem viris naturam sortitae, suos ad uterum morbos omnes referunt, qui ut praestantissimi operis locus est, sic perniciosorum morborum sedes, intemperie aut nuda, aut cum materia coniuncta, indebita conformatione et solutione continui debilitatur: a quibus concipitur aut abolitur sterilitas, nunquam optanda, minuitur si semel toto vitae decursu mulier conceperit, depravatur mola, quae in sola fit muliere, non tamen sine viri semine, augetur superfoetatione, quae raro accidit: legitimum pariendi tempus, septimo, octavo, nono, et decimo mense praefinitum abortu accelleratur, nonnunquam foetus retardatur, quandoque pedibus in lucem primum prodeuntibus cum dolore emittitur, denique ad veteratae aliquandiu in utero cum lochiis secundinae, mortem in propinquo esse existimandum est.

Ergo nuptarum, quam virginum morbi Periculosiores.

Proponebat Petrus Pijart Parisinus. 1587.

F.M.P. BIBLIOTHEQUE